

apostolica uel quacumque firmitate alia roboratis Aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de dignitatibus personatibus uel officijs in dicta ecclesia speciales / aut alijs beneficijs ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis uel legatorum eius litteras impetrarint / eciam si per eas ad inhibicionem reseruacionem et decretum uel alias quomodolibet sit processum / quibus omnibus te in assecucione dicte prepositure uolumus anteferri / sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem dignitatum personatum officiorum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari Seu si episcopo qui est pro tempore / et dilectis filijs capitulo Strenginensi uel quibusuis alijs communiter uel diuisim a predicta sit sede indultum quod — — — mencio specialis / Aut si presens non fueris ad prestandum de obseruandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie ratione dicte prepositure solitum iuramentum / dummodo in ausencia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud / prestes / Seu quod canonicatum et prebendam in dicta Strenginensi ecclesia ac parrochiale ecclesiam Runchuna<sup>2</sup> Strenginensis dyocesis nosceris obtinere / Volumus autem quod postquam uigore presencium dicte prepositure fueris possessionem pacifice assecutus canonicatum et prebendam / ac parrochiale ecclesiam predictos quos ut prefertur obtines quosque extunc uacare decernimus omnino prout ad id sponte te obtulisti dimittere tenearis Nulli ergo etc. nostre collacionis prouisionis constitutionis et uoluntatis infringere etc Datum apud Villamnouam Auinionensis dyocesis · xvii · kalendas augusti anno quarto /

In eodem modo Dilectis filijs · · preposito Arosiensi et Halquino de Walentunum Vpsalensis ac Lamberto de Ludgudhawi<sup>3</sup> Lincopensis / canonicis ecclesiarum salutem etc Vite etc usque teneatur / Quocirca mandamus quatenus uos uel duo aut vnus uestrum per uos uel alium seu alios eundem Johannem uel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prepositure ac iurium et pertinenciarum predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum / amoto ab ea quolibet detentore facientes ipsum uel dictum procuratorem suum pro eo ad dictam preposituram ut est moris admitti sibique de ipsius prepositure fructibus redditibus prouentibus iuribus et obuencionibus uniuersis integre responderj Non obstantibus omnibus supradictis / Seu si eisdem episcopo et capitulo uel quibusuis alijs communiter uel diuisim a predicta sit sede indultum / quod interdicti suspendi uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mencionem · Contradictores auctoritate nostra etc Datum / ut supra

<sup>1</sup> Över raden. <sup>2</sup> Sic ms felaktigt för Runthuna. <sup>3</sup> Första d tillagt över raden.

Non obstantibus etc. För de transumerade partierna se formuläret i SD 5614 med i bokstavsnoterna angivna avvikelser från detta.

5616.

1356 juli 16.

Villeneuve.

Innocentius VI reserverar, på supplik av biskop Thyrgillus, för Johannes Henrici, präst i Strängnäs stift, sockenkyrkan Runtuna i samma stift, så snart den bleve ledig efter Johannes Vilikini, som samma dag providerats med preposituren vid Strängnäs domkyrka och anmodats frånträda nämnda sockenkyrka (se SD 5615). Reservationen gäller dock ej, därest ledigheten skulle inträffa genom att Johannes Vilikini dött.

Härom underrättas de utsedda exekutorerna, domprosten i Västerås samt kanikerna Halquinus i Vallentuna vid Uppsala domkyrka och Lambertus i Ludgo vid Linköpings domkyrka.

Reg. Auin. 133, fol. 20 r—v, ep. xxvi (kvaternrubrik fol. 5 r, se SD 5565), Vatikanark.

Dilecto filio<sup>1</sup> *Johanni* Henrici presbytero *Strenginensis*<sup>2</sup> diocesis salutem etc. Laudabilia tuarum probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales / Cum itaque hodie dilecto filio *Johanni* Wylikini preposito ecclesie *Strenginensis* de prepositura ipsius ecclesie tunc uacante per nostras certi tenoris litteras duxerimus prouidendum[, ] uolentes inter cetera quod idem *Johannes* quamprimum vigore earundem litterarum dicte prepositure foret possessionem pacificam assecutus parrochiam ecclesiam *Runthuna Strenginensis* diocesis quam tunc temporis obtinebat sicut ad huc obtinet quamque ex tunc uacare decreuimus omnino dimittere teneretur prout in eisdem litteris plenius continetur et propterea dicta parrochialis ecclesia in breui uacare speretur Nos uolentes tibi pro quo etiam venerabilis frater noster *Thirgillus* episcopus *Strenginensis* asserens te dilectum suum nobis super hoc humiliter supplicauit premissorum intuitu gratiam facere specialem dictam parrochiam ecclesiam cum eam premissis uel alio quouis modo preterquam<sup>3</sup> per ipsius *Johannis* obitum uacare contigerit conferendam tibi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reseruamus[, ] districtius inhibentes . . . episcopo *Strenginensi* qui est pro tempore ac illi uel illis ad quem uel ad quos eiusdem parrochialis ecclesie collatio prouisio presentacio seu queuis alia dispositio pertinet communiter uel diuisim ne de ipsa ecclesia contra reseruacionem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant Ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigerit attemptari / Non obstantibus si aliqui super prouisionibus — — — sit processum[, ] quibus omnibus in assecucione dicte parrochialis ecclesie te uolumus anteferri sed nullum — — — mencio specialis / Nulli ergo etc. nostre reseruacionis inhibicionis et constitutionis infringere etc Datum apud *Villamnouam Auinionensis* diocesis . xvii . kalendas augusti anno quarto /

In eodem modo Dilectis filijs . . . preposito *Arosiensi* et *Aliquino* de *Walentunum Vpsalensis* ac *Lamberto* de *Ludgudhawi Lincopensis* canonicis ecclesiarum salutem etc. Laudabilia dilecti filij *Johannis* etc . usque specialis Quocirca mandamus quatenus vos uel duo aut vnus uestrum per vos uel alium seu alios predictam parrochiam ecclesiam per nos ut premittitur reseruata cum eam ut prefertur uacare contigerit eidem *Johanni* cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis[, ] inducentes eum uel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem parrochialis ecclesie ac iurium et pertinenciarum predictorum eadem auctoritate et defendentes inductum amoto ab ea quolibet detentore facientes sibi de ipsius parrochialis ecclesie fructibus redditibus prouentibus iuribus et obuencionibus vniuersis integre responderi / Non obstantibus omnibus supradictis Seu si eidem episcopo uel quibusuis alijs communiter uel diuisim a predicta sit sede indultum quod interdici suspendi uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mencionem Contradictores auctoritate nostra etc . Datum ut supra .

<sup>1</sup> *Över raden.* <sup>2</sup> *Ändrat i ms från Stranginensis.* <sup>3</sup> *pre- ändrat från per-*

Non obstantibus etc. För de transumerade partierna se formuläret i SD 5565 med i bokstavsnoterna angivna avvikelser från detta.